



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ecclesiasticorum Vita, Moribus, Officiis Libri Tres

Schevichavius, Gisbertus

Mogvntiae, Anno M.DC.XXI.

Capvt XXV. Mvniis Et Officiis Ecclesiasticis impedimento est matrimonium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42349

possint carnale exercere commercium: vt conscientia integritate fulgentes, munus acceptabile Deo offerrent, &c. Eadem confirmat Innoc. 1. epist. 3. ad Exuperium Tolosan. Archiepisc. c. 1. & habetur ead. dist. 82. c. 1. Proposuisisti. Et V. Beda in c. 1. S. Luca vers. 23. & factum est, vt impleti sunt dies officii eius, abiit in domum suam. Hoc est, ait, quod dixi, quod vicis sue tempore Pontifices, templi tantum officiiu mancipati, non solum à complexu vxorum, sed etiam ab ipso domorum suarum abstinerent ingressu. Vbi nostri temporis sacerdotibus, quibus semper altari seruire iubetur, perpetuo seruandæ castitatis exemplum datur.

CAPVT XXV.

MVNIIS ET OFFICIIS ECCLESIASTICIS
impedimento est matrimonium.

§. Clericorum ad hæc functionibus & officiis, coniugij etiam sancti vinculum plurima impedimenta obijceret. Munus est tremendum illud Deo offerre sacrificium. Sed huic obstaculum ponit coniugium. Hinc S. Hier. l. 1. aduersus Iouinian. cap. 19. & habetur ead. dist. 31. c. 8. Si laicus, & quicumq; fidelis orare non potest, nisi careat officio coniugali. 1. Cor. 7. v. 5. & 33. Sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est. Si semper orandum est, semper carendum matrimonio. Nam & in veteri lege, qui pro populo hostias offerebant, non solum in domibus suis non erant, sed purificabantur ad tempus ab vxoribus separati, & vinum & siceram non bibebant, quæ solent libidinem prouocare, habetur dist. 31. c. 5. Tenere debet.

§. Peruetus ille & perdoctus Orig. hom. 23. in Num. dum. Certum est, inquit, quia impeditur sacrificium indefinens iis, qui coniugalibus necessitatibus seruiunt. Vnde videtur mihi, quod illius est solius offerre sacrificium indefinens, qui indefinenti & perpetuo se deuouerit castitati. Hæc causa traditur distinct. 11.

cap. 3. sacerdotib. cap. 4. Episcopos, cap. 5. eos. Accedit quod hoc sacrificio virginea filii Dei caro immoletur, vt proinde summa, & anima, & corporis puritas merito exigatur, vt & lib. tertio de Sacerdotio demonstrat Sanctus Joannes Chrysostomus.

*Propter con-
tinuas pre-
ces Clericis
à matrimo-
nio tempe-
randum.*

§. Clericorum munus est assidue pro se, ac toto populo Deum deprecari, oratio autem postulat mentem tenuem, & in Deum, ac res cœlestes sublatam & tranquillam, cuius aciem & vigilantiam summo opere obtundit coniugij vsus, vt docet S. Augustin. l. 14. de ciuit. Dei c. 16. atque idcirco Apost. 1. Cor. 7. v. 5. hortatur coniuges, vt sint abstinentes, quo attentius & religiosius precibus dent operam. Ex quo S. Epiphanius hæres. 59. contra Catharos. Ambr. in c. 3. prioris ad Timotheum. Hieron. in cap. 1. epist. ad Titum. & lib. 1. contra Iouinum. rectissime arguunt sacerdoti semper à nuptiis cessandum, quia semper orandum.

*Ratione sa-
cramento-
rum dispen-
sationis à cō-
iugio absti-
nendum.*

§. Clericorum officium est diuinissima dispensare Sacramenta, cui non parum officit matrimonium, nisi vt auctores sunt Joan. Nauclerus, & alij, cum in nostra Germania tempore Gregorij VII. cepissent Sacerdotibus vxores ducere, tantus Sacramentorum contemptus secutus est, vt passim Laici Sacramenta administrarent, & fuerit sicut populus, sic Sacerdos, imo ne quidem Sacerdos sicut populus, vt merito affirmet hæres. 59. S. Epiphanius propter honorem sacerdotis necessariam esse continentiam. Quod & tom. S. Aug. 10. habetur ferm. 39. ad fratres in eremo. Et Innocent. I. epist. ad Vict. confirmat. Et S. Hier. epist. 50. c. 3. quæ est Apologia ad Pammachium, pro libris suis aduersus Iouinum. Ecce, inquit, perspicue nuptias diximus concedi in Evangelio, sed tamen easdem in officio suo permanentes premia castitatis capere non possunt. Quod si indignè accipiunt mariti, non nihil irascantur, sed scripturis sanctis, imo Episcopis & presbyteris & diaconis, & vniuerso choro sacerdotali & Leuitico, qui si

nouerunt hostias offerre non posse, si operi seruiant coniugali.

§. Clericorum partes sunt erudire populum, huic autem institutioni officit etiam legitima cum muliere coniugatio. Quis enim Sacerdoti marito suadenti virginitatem, viduitatem, caducarum rerum despicientiam, assiduam contemplationem, & deprecationem adiunget fidem, cum ipse matrimonio indulgeat, liberos procreet, iis thesauros coaceruet, negotiis & curis secularibus se immergat? *Quomodo, inquit, S. Ambr. l. 1. off. c. 50. potest hortator esse viduitatis, qui ipse coniugia frequentauerit?*

Ecclesiasticis, ut efficacius populum doceant matrimonium non contrahendum.

§. S. Aug. serm. 249. de Tempore. Omnibus, inquit, castitas per necessaria est, sed maxime ministris Christi altaris, quorum vita aliorum debet esse eruditio, & assidua salutis predicatio. Tales enim decet Dominum habere ministros, qui nulla contagione carnis corrumpantur, sed potius continentia castitatis splendant, & totis honestis fulgeant in populo exemplis: quibus Dominus per Legislatorem dicit Leuit. 19. versic. 2. Sancti estote: quia & sanctus sum, Dominus Deus vester. Doctè & eleganter more suo B. Hieronym. epist. 2. ad Nepot. cap. 8. Non confundant opera tua sermonem tuum, ne, cum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat, cur ergo hoc, quæ dicis, ipse non facis? Delicatus magister est, qui pleno ventre de ieiuniis disputat. Accusare auaritiam & latro potest: sacerdotis Christi os, mens, manusq; concordent.

Ut liberius & sanctius Deo vacet, Ecclesiastici coniugium repudiant.

§. Clericalis officii munus est summo Imperatori, Deo militare, cui ad hoc solenni etiam Sacramento se obligarunt, & sub eo æternæ beatitudinis mereri stipendia, felices bona si sua norint Ecclesiastici. Nemo autem militans Deo, ait Apostol. 2. Tim. 1. v. 4. implicat se negotiis secularibus, his autem cælebs se non implicat, implicat autem maritus, quemadmodum docet Apostol. 1. Corint. 7. vers. 32. & 33. cum ait. Qui sine vxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat DEO. Qui autem cum

vxore est, sollicitus est, que sunt mundi, quomodo placeat vxore
 & diuisus est, in multas scilicet occupationes & curas.
 ¶ S. Clericorum functio est pascere & gubernare popu-
 lum ipsis subiectum, sed huius populi cura & di-
 ritas, idcirco à coniugibus prætermittetur, quod tra-
 ta in vxore & liberis consumeretur, in quibus & cogita-
 tio, & affectus penitus inhareret, nec in spirituales filio-
 vim suam exerceret. Paucissimorum est ille seminat.
 Ambrosi. 1. off. c. 7. quo hunc in modum suos affatur cler-
 ricanos: Neque enim vos minus diligo, quos in Euangelio gen-
 quam si coniugio suscepissem. Non enim uehementior est ratio
 ra ad diligendum, quam gratia. Plus certe diligere debemus,
 quos perpetuo nobiscum putamus futuros, quam quos in huius
 tum seculo. Illi degeneres nascuntur frequenter, qui debent
 patrem: vos ante elegimus, ut diligamus. Itaque illi necessitate
 diliguntur, que non satis idonea atque diuturna est, ad per-
 ruitatem diligendi magistra: vos iudicio, quo magnum chris-
 ti pondus ad vim diligendi adiungitur, probare quos diligere
 diligere quos elegeris.

Calamitoso-
 rum cura
 Ecclesiasti-
 cos a matri-
 monio im-
 pedit.

¶ S. Id & Clericis munus incumbit, ut egenorum mi-
 duarum, orphanorum ac calamitosorum curam susci-
 neant, & libenter, sollicitè, & benignè sustineant. Mo-
 nim factitatum Apostolorum, quorum vestigia persequi
 debent, temporibus Act. 6. v. 1. & seq. 1. Cor. 16. v. 1.
 seq. 2. Cor. 9. v. 1. & seq. Gal. 2. v. 10. Qua de re multum
 tant Canones. 12. q. 1. & 2. Sed Clerici coniugio inuoluntaria
 ea bona potius in vxorculam & filiolos conferre solent
 derent, sicut & nunc quidam suos cognatos locupletare
 totis viribus in suam perniciem conmittunt. Cuius
 enim parentes suis cupiant prospectum liberis, & illi
 relinquere Ecclesiastica beneficia non possent, essent
 prorsus auarissimi (quod summo opere detestatur Apo-
 stolus) ipsis ut necessariam imo & copiosam hæ-
 reditatem vndique corraderent.